id coheret cum re necessario. & quicquid repugnat. id eiusmodi est.
ut cohere numquam possit. Cum tripertito igitur distribuatur loc(us)
hic in consecutionem. antecessionem. Repugnantiam. Reperiendi argumentum locus sim
plex. Tractandi triplex. Nam quid interest cum hoc sumpseris. pecuniam nu
meratam mulieri deberi. cui sit omne argentum legatum. legata est mulieri.
Est autem pecunia signata argentum. Legata igitur est. An illo modo. Si numerata pec
cunia non est legata. non est numerata pecunia argentum. Est autem numerata pec
cunia argentum. legata igitur est. An illo modo. non et legatum est. et non est legata nume
rata pecunia. legatum autem argentum est. Legata igitur numerata pecunia est.
Appellant autem dialectici eam conclusionem argumenti. in qua cum primum
assumpseris. consequitur id quod annexum est. primum conclusionis modum.
Cum id quod annexum est negaris. ut id quoque cui fuerit annexum negandum sit.
secundus is appellatur modus concludendi. Cum autem aliqua coniuncta negaris. et ex his
unum aut plura sumpseris. ut quod relinquitur tollendum sit. is tertius appellatur
conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum ex contrariis conclusa. que ipsi ενθυμ
ηματα appellant. non quod omnis sententia proprio nomine ενθυμημα dicatur.
sed ut homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud grecos suum.
Sic cum omnis sententia enthimema dicatur. quia videtur ea que ex contrariis con
ficiatur acutissima. sola proprie nomen commune possedit. Eius generis hec sunt.
Hunc metuere. alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accusas damnas.
bene quam meritam esse autumas male merere. Id quod scis prodest. nihil id quod ne
scis obest. Hoc disserendi genus attingit omnino vestras quoque in respon
dendo disputationes. Sed philosophorum magis. quibus est cum oratoribus illa ex re
pugnantibus sententiis communis conclusio. Que a dialecticis tertius modus. a rhe
toribus enthimema nunc appellatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt.
qui ex disiunctionibus constant. aut hoc. aut illud. hoc autem. non igitur
illud. Itemque aut hoc. aut illud. Non autem hoc. Illud igitur. Que conclu
siones idcirco rate sunt. quod in disiunctione plus uno verum esse non potest.